



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Acta Ecclesiae Mediolanensis

Acta Synodalia Dioecesana Ecclesiae Mediolanensis, Pars Secunda

Borromeo, Carlo

Brixiae, 1603

Decretum. VII.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11399

notes, orationem, aut collectam, quæ pro peccatorum venia postulanda dicitur, per septem dies deuotè recitent: idemque clerici pia oratione precentur. Quod vt populus etiã deuotè agat, suos quisq; parochus Christi fideles diligenter moneat, atque cohortetur.

Decretum. V.

De Synodi arden. dec. recipiendis, & profess. fidei præstanda. Sess. 25. dec. de refor. c. 2.

A SACRO Tridentina Synodo illud grauissimè sancitum est, vt quicumque vel hoc tempore, vel in posterum ecclesiastica beneficia obtinebunt, qui item in diocesanam synodum conuenire debent; omnes in ea ipsa synodo, quæ primo quoque tempore celebrabitur, recipiãt oĩa & singula, quæcunque eodem Concilio Tridentino decreta & constituta sunt, reliquaque omnia præsent, quæ in sessione xxv. capite 11. enucleatè præscripta sunt.

Tit. de profess. fidei pag. 2.

Atque id ipsum quidem decretum Tridentinũ nos in Synodo prouinciali prima executi, fidei etiã professionem ex formula præstitimus, quã summus Pontifex Pius Quartus concepit & confecit. Vniuersos igitur & singulos, qui ecclesiastica beneficia obtinent, sacris ve ordinibus initiati sunt, iubemus ac præcipimus, omnia & singula, quæ in œcumenica illa sacra synodo decreta ac definita sunt, recipere, fidei que professionem ex Pontificia ea formula præstare: si modo aliã id in synodo nunquam præstiterunt.

Decretum. VI.

De examinatorib. diligendis. Sess. 24. dec. de refor. c. 13.

SACRO Tridentino Concilio decretum & constitutum est, quotannis in diocesanam synodum ab Episcopis viros aliquot idoneos referri debere; qui diligenti examinis ratione, de vita, moribus, doctrina eorum quærant, qui parochialium Ecclesiarum curationi præficiendi sunt.

Hoc igitur ipsum decretum nos exequi cupientes, animaduertentesque præ nostrã diocesis amplitudine maiorem examinatorum numerum requiri; proponimus vobis hos venerabiles viros viginti tres, quorum nomina à Cancellario de suggestu pronuntiabuntur.

Ex ijs porrò omnibus illos deligi per

vos liceat, qui vobis & satisfaciant, & probati sint: ita scilicet, vt qui dimidiã partem suffragiorum, ab ijs qui ex compromisso vestro delecti sunt ad suffragandum, tulerint, hoc examinandi munus habeant, quousq; alia synodus diocesana celebrabitur.

Decretum. VII.

SACRA item œcumenica & vniuersalis Tridentina Synodus iubet, aliquot viros, eosque tales deligi, quales Summus Pontifex Bonifacius Octauus sua constitutione præscripsit.

Qui & alioquin ad id apti & idonei constituantur, vt ipsis causæ ad forum ecclesiasticum pertinentes, in partibus delegandæ committantur.

Vt igitur illud ipsum Tridentinum decretum nos exequamur, vobis proponimus ac nominamus hos octo viros, quibus causæ delegentur; ita vt quatuor ex his suffragijs vestris pluribus designati, munus habeant eiusmodi causas iudicandi, quoad altera synodus habebitur.

Decretum. VIII.

VETVS est consuetudo sacrosanctis canonum decretis introducta, & decreto prouinciali communita, vt Synodis singulis diocesanis, viri aliquot vita & moribus graues ac probati deligantur, qui animaduertant diligenter, an aliquid in vrbe & diocesi sit, quod corrigi emendarive debeat: ac si quid tale cognouerint, id nobis, vel Vicario nostro generali, aut visitatoribus nostris significent; interrogati que de aliqua re quæ emendationem requirat, summa integritate referant.

Nos propterea vetus illud ac probatissimum institutum, & prouinciale decretum secuti, huic muneri proponimus ac nominamus hos viros, quos Cancellarius iussu nostro de suggestu, & in vrbe & in diocesi testes synodales pronuntiabit.

Superiora proxima decreta, sunt in omni synodo quasi solennia; vt potè, quæ partim initio synodi, partim in sessione synodali, in qua de examinatoribus, de iudicibus delegatis, testibusq; synodalibus agitur, promulgari de more solent.

De Iudicio Synodalibus Sess. 25. dec. de refor. c. 10. cap. statutũ de ege. ser. in 6.

De Testibus Synod. diligendis. Prou. 4. tit. de Test. Synod. pa. 179.

De-